



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 5. De circumstantia. Quomodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

citati num. 150. & sequitur noster Emanuel, qui solum excludit tactus impudicos in partibus venerandis, quod etiam ego dico, dum sequatur pollutio notoria; secus aliter. * Imò M. Serra in 3. p. de Sacram. q. 83. art. 3. fol. 540. §. Tertius est. Existimat, Ecclesiam non violari per pollutionem, nisi copiosa sit. * Copiosa, inquit, esse debet, sicut effusio sanguinis: unus enim, vel alterius gutta emissio, quæ accidit turpia cogitantibus, non sufficit ad polluendam Ecclesiam. * Quod est valde notandum.

22. Consensio Doctoribus c. tatis, quoad tactus turpes in loco sacro occultè habitos: dissentio verò omnino ab aliis, qui etiam publicè factos à malitia sacrilegii eximunt. Moveor, quia licet ex speciali statuto Ecclesiæ nullibi inveniantur prohiberi, secluso periculo effusionis seminis (ac proinde locus sacer per illos, sive occultè, sive publicè habeantur, non violatur; & propterea, nec reconciliatione indigeat, nec opus sit Missas, & sacrificia suspendere) nihilominus ejusmodi tactus impudicos in Ecclesia publicè fieri, tanquam indecentissimos sanctitati loci, jus divinum naturale prohibet; idèoque sacrilegii malitiam subeunt. Ita tradit P. Tambur. in Method. lib. 2. cap. 7. §. 5. num. 37. & à fortiori Ortiz in Sum. notabilis in fine, circa 6. præceptum. P. Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 22. num. 150. & P. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 7. n. 11. ubi cum Cardinali, Sylvestro, Lopez, Rodriguez, & Ledesma, asserit, hos actus impudicos in Ecclesia factos, esse mortalia sacrilegia, ex vi legis naturalis, quia prudenter reputantur materia gravis, & sufficiens ad gravem irreverentiam loci sacri: quos sequitur M. Raphael de la Torre 2. 2. tom. 2. quest. 99. art. 4. disp. 7. Quorum sententiam approbo, quando publicè fiant: secus si occultè, propter superius dicta.

23. Hoc etiam fundamento non incongruè defendi potest, concubitus conjugalem publicum in loco sacro, extra casum necessitatis, malitiam gravem sacrilegii contra jus divinum naturale contrahere, etiam gratis dato, nullo jure Ecclesiastico fuisse prohibitum, ut contendunt Doctores, quæst. præcedenti, num. 13. & 14. citati. Ex quibus solum inferri poterit, Ecclesiam non manere violatam, nec reconciliatione indigere, non verò malitiam sacrilegii vitari.

CAPUT IV.

Quid veniat nomine loci sacri, quoad furtum, & sanguinis, vel seminis effusionem?

24. **R**espondeo, tantum venire Ecclesiam, vel locum consecratum, aut benedictum: & ultra requiri, quod sit ad officia divina, aut fidelium sepulturas deputatus. Ita P. Henriquez lib. 9. cap. 27. & lib. 5. de Pœnit. cap. 6. num. 9 in Gloss. lit. H. Sanchez lib. 9. de Matrim. dub. 15. num. 24. Fagundez 2. præcept. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 32. cum Rodriguez, Navarro, Capua, & aliis. Undè constat, nomine loci sacri venire etiam cimiterium benedictum ad fidelium sepulturam, ut contra Sotum in 4. dist. 32. quest. unica, art. 3. conclus. 3. docent communiter Theologi, quos citatos sequuntur Fagundez, supra numer. 34. & Thom. Sanchez num. 40. & constat ex capit. unico, de consecrat. Eccles. in 6.

25. Ex dictis colligitur, non contrahere malitiam sacrilegii copulam, vel sanguinis, vel seminis effusionem, in cameris Ecclesiæ adherentibus, vel in ista, vel in turri, ubi cimbala pullantur. Ita Fagundez, & Sanchez supra cum pluribus neque habent in tribunis ad sacrum audiendum ex adveniente edificatas, quia istæ ad divina officia celebranda deputantur, sed sunt quasi cameræ distinctæ, Ecclesiæque adherentes, ut benè Sanchez l. p. c. l. in choro, quia est intra Ecclesiam ad divina officia deputatus, ut ex Sanchez tenet Fagundez l. p.

26. De confessionariis est major difficultas, ut veniant nomine loci sacri, & dicendum est non venire, quoties confessionarium fuerit intra concavum parietis à parte externa Ecclesiæ, quæ ad cimiterium non pertinet. Idem dicto, quoties fuerit constitutum confessionarium intra parietem concavum, dummodo parietis alique tenet ex latibus ducto, vel tabulis, vel panno et cetero dividitur, & solum per crates, aut foramina confessiones excipiantur: tunc enim pars illa, quæ ad confessionem spectat, non est locus sacer, secus ea, quæ non ad confessionem accedunt. Ita Sanchez, & Fagundez supra cum aliis apud ipsos.

27. Claustra Religiosorum, & oratoria, si benè dicta sint, & officis divinis, aut mortuis spectanda destinata, certum est, venire nomine loci sacri: verò minimè. Idem dicendum est de reliquis Religiosorum habitaculis, & officinis, quoad prædictum effectum, tametsi omnia Ecclesiastica immunitate gaudeant. Vide Sanchez supra num. 42. & Fagundez num. 39. Henriquez lib. 2. de Pœnit. cap. 6. num. 1. & alios apud ipsos, penes quos plura de hoc tractatu. Idem tradit cum Sanchez, Fagundez, & Duran, Leander disp. 8. §. 4. quest. 25. de pollutione, seu copula habitis in Oratorio alicujus domus, in quo de loca Ep. scopi Missæ celebrantur: hujusmodi enim locus non est benedictus; nam tale Oratorium, ad tantum fundatoris, potest ad usus redire prophetarum: sicut ergo conditio necessaria, ut malitia sacrilegii refundi possit.

QVÆSTIO V.

De circumstantia Quomodo.

CAPUT I.

An pœnitens teneatur in confessione explicare consuetudinem peccandi?

1. **A**ffirmant Fagundez, Henriquez, Tabien, Resella, Sotus, & alii. Sed melius negant Suarez, Vazquez, Bonacino, Reginaldus, Rola, & alii, quos citatos sequitur Diana par. 1. m. 7. resol. 15. & 55. Ratio est manifestissima; quia neque præcepto divino, neque humano tenetur pœnitens idem peccatum bis confiteri: ergo qui semel confessus, non tenetur iterum peccans se accusare, neque incidentia, ergo per se loquendo non tenetur explicare consuetudinem; aliàs deberet plures se accusare de eodem peccato. Si autem consuetudo erant ex occasione proxima peccandi, non aliter tenetur illam explicare, quam opus sit ad occasionem proximam declarandam.

2. Sed quid, quando consuetudo fuerit causa efficiendi similes actus sine advertentia, & sufficienti deliberatione? (ut contingere solet habenti consuetudinem jurandi, vel blasphemandi, qui quidem salutatem rei, vel rationem injuriæ, ut in plurimum non advertit) tenebitur ne se acculare de omissione auferendi prædictam pravam consuetudinem? Affirmant Reginaldus, Suarez, Layman, & alii cum Diana 3. p. tract. 5. Miscell. resol. 62. Thom. Sanchez in Sum. lib. 3. cap. 5. num. 13. & 14. Lugo disp. 16. sect. 4. §. 6. putant enim, juramenta ex illa consuetudine orta, etiam sine advertentia, esse peccatum lethale.

3. Cæterum secunda, & verior sententia tenet, prædicta juramenta, neque in se, neque in causa esse peccatum lethale; ac proinde, neque esse obligationem gravem auferendi consuetudinem, ex qua sequuntur, neque explicandi illam in confessione. Ita Joannes Sanchez in Selectis, disp. 20. num. 5. & non improbat Diana 3. p. tract. 5. Miscell. resol. 62. Neque Lugo supra num. 206. Probat: quia verba juratoria absque intentione, animoque jurandi prolata, non habent perjurii rationem, neque gravis offensæ Dei, ut plures Theologi docent, sed qui inadvertenter jurat, seu blasphematur, intentionem jurandi non habet: ergo verba juratoria ab eo prolata non habent rationem perjurii: ergo consuetudo jurandi non est causa perjurii; ergo non est occasio, nec periculum gravis peccati. Deinde non est, unde probetur obligatio gravis vitandi juramenta materialia, & materialiter tantum falsa: Ergo non est unde oriatur gravis obligatio vitandi consuetudinem. Secundo probatur, quia nemo tenetur vitare in causa actiones, quas in se ipsis non tenetur vitare; sed nemo tenetur sub lethali vitare in se ipsis verba juratoria, absque animo jurandi prolata; ergo neque in causa tenebitur: ergo neque auferre consuetudinem. Patet consequentia, quia hoc nihil aliud est, quam velle in causa proferre verba absque animo jurandi.

4. Obicit Lugo: verba perjurii, etiam inadvertenter prolata, perjurium sonant, & in hoc sensu ab auditoribus accipiuntur: ergo omnino vitari debent, tam in se, quam in causa. Sed contra, quia ex eo quod perjurium sonent, dum illud non continent, non inducunt obligationem gravem ad ea vitanda, ut patet in eo, qui jurat, utendo æquivocatione, præcipue, quando verba ex se ambigua non sunt, sed ex solo addito in mente jurantis in verum sensum detorquentur. In hoc inquam casu, verba juratoria perjurium sonant, & in eo sensu ab audientibus usurpantur, & tamen malitiam gravem non continent. Redocent P. Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 22. Bonacina de legibus, disp. 4. q. 1. punct. 12. Filiuc. tom. 2. tract. 25. cap. 1. num. 331. & plures, quos citavi tract. 2. de Relig. disp. 1. q. 6. num. 17. & seq. Si igitur verba juratoria inadvertenter prolata non continent in se ipsis culpam gravem, neque inducunt gravem obligationem ad ea vitanda, cur si inadvertenter proferantur, dicenda sunt continere in causa ejusmodi malitiam, & obligationem? Confirmatur: quia ex eo, quod juramenta, & verba contumeliosa in ebrietate, vel somno prolata non habent rationem juramenti, vel contumeliæ, non continent malitiam gravem, neque in se, neque in causa, etiam si proferenda prævideantur, ut ipsi adversarii fatentur, sed verba juratoria absque advertentia prolata ab homine rationis compote, non habent rationem juramenti, ut ex communi Doctorum supponimus: et

Part II.

go neque in se, neque in causa malitiam gravem continere possunt.

5. Dices: in habente usum rationis continere quamdam turpitudinem objectivam, ratione cujus in sua causa vitari debent. Verum non satis capio: nam Cardinalis de Lugo aliam assignare non videtur, quam, illa verba, exterius sonare perjurium, & hunc sensum apud audientes generare. Lege illum supra à num. 211. Hoc autem non sufficere ad culpam gravem jam supra confeci. Fortasse verò propter scandalum, & inductionem ad falsa juramenta, poterit in aliquo casu id esse mortale; quod quidem, propter eamdem rationem, dicendum est de illo, qui amphibologicis verbis utens jurasset. Quæstio autem præsens ab his præscindit, illisque seclusis, inquirat de obligatione vitandi consuetudinem.

CAPUT II.

An saltem rogatus à confessario teneatur pœnitens aperire consuetudinem peccandi?

§. I.

Negativa sententia Authores, & fundamenta.

6. **P**attem negativam non pauci Doctores tuerentur, post Joannem Sanchez in Selectis, disp. 9. n. 6. ubi totus est in probando, confessarium jus non habere ad interrogandum de consuetudine peccandi; ac proinde, nec pœnitentem interrogatum teneri illam manifestare. Cujus fundamentum apud gravissimos Doctores fixum invenio, M. Texeda tom. 1. Theol. Moral. lib. 2. tract. 3. contr. 10. num. 32. ibi: * Id, quod pœnitens interrogatus tenetur declarare; tenetur ipse dicere, etiam si non interrogetur. * Sed non interrogatus non tenetur dicere consuetudinem peccandi, ut constat ex cap. præcedenti. Ergo interrogatus non tenetur declarare, Pat. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect. 3. nu. 10. * Interrogatio confessoris non addit obligationem, sed illam potius supponit, ideo enim confessor justè interrogat, quia pœnitens habet obligationem confitendi. * Angelus Maria Verricelli in questionibus Moralibus tom. 1. tr. 8. quæst. 18. * Quidquid ex se pœnitens non tenetur confiteri, neque interrogatus fateri tenetur. * Filliucius tom. 1. tract. 7. num. 88. * Interrogatio non addit novam obligationem, sed supponit. * Fr. Franciscus Bonæ Spei in Noctua Belgica, dub. 16. res. 3. num. 468. * Pœnitens non tenetur respondere, nisi ad ea, aut saltem in ordine ad ea, quæ per se, & non interrogatus fateri tenetur. In hac enim sola obligatione fundatur legitima interrogatio Sacerdotis. * Cum igitur pœnitens, ut quæst. præcedenti diximus, & ex D. Thoma tradit M. Canus select. de Pœnit. part. 5. fol. mibi 36. non habeat obligationem confitendi consuetudinem peccandi, videtur apertissime inferri, per se loquendo, neque interrogatum teneri.

7. Ideò hanc sententiam tenet Rev. Pat. Leander à Sacram. tom. 1. de Pœnit. tr. 5. disp. 8. §. 7. quæst. 21. ubi sic: * An saltem teneatur pœnitens confiteri con-

D d 3

suetudi-

suetudinem peccandi, si à confessorio de illa interrogetur. Affirmant Diana 1. part. tract. 7. resol. 15. & clarius resol. 55. Vazquez, Henriquez, Reginaldus, & alii. Et iterum contra me Diana part. 9. tract. 9. resol. 66. in fine, addens contrariam opinionem à sacra Congregatione Indicis fuisse deletam ex operibus Sancti. Sed probabiliter respondeo, adhuc in hoc casu non teneri, si aliàs pœnitens verè sit dispositus, quia pœnitens non tenetur, ut vidimus, talem consuetudinem confiteri. Ergo nec confessorius habet jus ad hoc interrogandum. * Hæc Leander, qui disp. 8. in fine, sensum prohibitionis sacra Congregationis Indicis exponit, modo infra referendo.

8. Leandro consentit Joannes Poncius ex Ordine Minor in cursa Theologico, disp. 45. conclus. 2. num. 32. ibi: * Quæri solet, an pœnitens teneatur confessorio interroganti, an habuerit consuetudinem committendi peccatum, quod confiteretur, respondere, quod sic, si eam habuerit: Joannes Sanchez negat, Card. de Lugo affirmat, &c. existimo non teneri quem confiteri lapsus antecedentes, quamvis utiliter posset, si vellet. Sed non placet modus eludendi interrogationem per æquivocationem (ut Joannes Sanchez putat) melius esset absolute dicere: Pater, hoc non spectat ad rem. Quidquid sit de hoc, jam spero cum gratia Dei cavere lapsum in posterum. * Sic Poncius.

9. Eiusdem sententiæ videtur Plust. M. Acarius de Velasco tom. 1. resol. moral. verb. Confession, resol. 188. num. 8. fol. mibi 376. ubi inquit. * Algunos Doctores dicen, que por lo menos, si el Confessor pregunta de la costumbre, está obligado el penitente à confessarla, y que podrá el Confessor, confessada la costumbre, d. ferir, y alargar la absolución, como le pareciere. Lo contrario dice Sanchez en sus Selectas disputaciones, &c. Prueba esto con autoridad de muchos Doctores. * Dixi, M. Acarium huius sententiæ videri, quia eam ultimo loco posuit. Nam ut ait M. Fumus in Armilla, verb. Opinio, num. 5. * Doctor referens plures opiniones, videtur sequi ultimam, quando aliam non firmat, secundum Hostiensium in cap. 1. de Privilegiis, lib. 6. * Cui regula adheret Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 36. num. 3. & alibi. Id quod M. Acarius tenet Machado tom. 2. lib. 7. p. 2. tract. 3. docum. 2. fol. mibi 605. ibi: * Muchos Doctores tienen, que el penitente está obligado à confessar la costumbre ordinaria, que tiene, de reincidir en un mismo pecado (attende) y que por consiguiente el Confessor tiene derecho à preguntarle por ella, y él está obligado à responder, &c. Si bien otros muchos tienen, y defienden ex professo lo contrario, si no es en caso, que la costumbre naciese de la ocasión próxima del pecado. * Et expressius tradit Tancredi in Questionib. Moralib. disput. 3. quest. 23. fol. 62. dicens cum Joanne Sanctio, posse pœnitentem utendo æquivocatione dicere: * se non habere consuetudinem talis peccati. *

10. Et loquendo generaliter de obligatione confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, hanc sententiam tenet Diana p. 5. tract. 14. resol. 100. ubi probans, circumstantiam copulæ cum confessorio, vel pœnitente, non esse necessariam in confessione asperigendam, ait: * Est enim circumstantia aggravans, quæ quidem non est necessario confitenda, etiam si de illa pœnitens interrogetur à confessorio: non enim habet jus confessorius ad interrogandum de circumstantiis aggravantibus, unde nulla ei irrogatur injuria, si occultentur. * Quem sequitur Leander à Sacram. plures citans tom. 1. de Pœnit. tract. 5. disp.

8. §. 8. quest. 26. * Quia confessorius, inquit, potest pœnitentem obligare ad id, quod non est de necessitate confessionis. Unde optime pœnitentem respondere Confessorio, se jam declarasse, quod sufficit, quia ex Doctoribus, & ratione novis, scilicet amplius teneri; & tunc confessorius se debet commodare. Sic Henriquez, Granada, Navarrete, Sylvester, Hurtado, & postea Brunus. * Quibus addo Joannem Poncium Ordinis Minorum in cursu Theologico, disp. 45. quest. 7. conclus. 2. ubi loquens de quantitate turto sublata, sic ait: * Si confessorius interrogat quantitate, ipse potest dicere: non tenetur hoc confitendum. Et consentiunt Frat. Ludovici Conceptione 2. p. exam. verit. tract. 3. de peccatis etiam in praludis notabili 3. dicens: * nemo tenetur confessorio respondere, de aliquo non necessario interrogati. * Et Dicaliti illo de Pœnit. disp. 9. num. 147. ubi ait: Pœnitentem, etiam interrogatum à confessorio de circumstantiis aggravantibus posse illas non confiteri, non negat, & respondere confessorio, se non obligari ad declarandum. * Quibus addo Martinem de Prado tom. 2. de Pœnit. q. 2. de conf. dub. 2. de circumst. §. 3. folio 651. §. ad secundam confirmat. ubi sic: * Si tamen sit talis, quo circumstantia nullo modo sit sub precepto (nempe necessitate nec indirecè) de necessitate confessionis, etiam interrogatus potest veritatem occultare, sicut si interrogaretur de venialibus. *

11. Sic loquuntur præfati Doctores: quoniam tamen, si aliquid probat, idem evincit consuetudinem peccandi, quæ ad circumstantiam illam aggravantem reduci potest. Probat Joannes Sanchez conclusionem; quia idem præfatus est, confessorium habere jus ad interrogandum de consuetudine peccandi, ac illud habere ad obligandam pœnitentem, ut idem peccatum bis confiteatur, sed ad istud jus nullum habet; ergo neque ad illud. Confirmatur, quia Sacerdos tantum est iudex constitutus super species, & numerum peccatorum, quæ sub vi subiecta non fuerunt: hoc enim vulnus, & non aliud, ex medico munere, curare debet: ergo illa habet jus ad interroganda, quæ necessaria sunt cognitionem peccatorum, secundum speciem, & numerum: sed sine expressione consuetudinis, hæc pœnitens explicare potest, ergo confessorius non habet ad interrogandum de consuetudine. Ubi nota, quia interrogatio confessoris, ut constat ex Authoribus supra citatis, non addit obligationem, sed potius potius supponit: id enim confessorius iustus interrogat, quia pœnitens non satis exprimit, quæ confiteri tenetur; sed non tenetur ex se confiteri consuetudinem peccandi, ergo nec post interrogationem confessorii.

12. Nec obstat, quod diversam pœnitentiam confessorius injungeret pro peccato reincidentem, quæ pro semel commissio, quia pœnitens non tenetur manifestare peccatum, his circumstantiis vestitum, sed major pœnitentia injungenda sit, sed solum asperigendum peccatum secundum gravitatem peccati illius. Ergo si hæc declarati possit absque iuramento peccati jam confessi expressione, non est fundamentum, ut confessorio competat jus ad interrogandum de præteritis: minus enim confessorius ut medici, solum est curare infirmum à peccato præterito, sed ut medicus ante non subiecto, minime vero ab aliis, per quorum absolutionem præcedentem, jam effectus fuit; aliàs idem peccatum bis, & pluries puniendum foret.

§. II.

Affirmativa sententia in aliquo sensu omnino tenenda explicatur.

Contrariam tamen sententiam, quæ affirmat, teneri pœnitentem rogatum à Confessario consuetudinem peccandi ei aperire, tenent communiter Doctores. Pater Vasquez de Pœnit. quæst. 91. art. 1. dub. 3. Henriquez lib. 5. cap. 8. Sylvest. Sorus, P. Sâ, Luis Lopez, Tabiena, Angelus, & plures alii apud Joannem Sanchez in select. disp. 9. num. 3. Tamburinus in Method. expedit. confess. lib. 2. cap. 1. §. 1. numer. 3. in fine. Etiam certam putat Lugo tom. de Pœnit. disp. 14. sect. 10. in oppositam dicat. * Et se contra omnes Theologos. * Probatur, quia ad absolutionem impertiendam, non satis est, quod pœnitens benè dispositus accedat, sed oportet, ut confessarius id conflet. Ergo si ipse, ut hujus dispositionis certior fiat, interroget de consuetudine, tenebitur pœnitens illam aperire; non quidem præcisè, ut integra sit confessio, & se possit licite, & valide absolutionem impetiri; ut benè cum Vasquez docet Dicastillo tom. de Pœnitent. disp. 9. dub. 3. num. 195. Undè licet pœnitens non interrogatus non teneatur consuetudinem peccandi confiteri, eò quod est celata, speciem, & numerum peccatorum exprimit cum debita dispositione, tamen posita interrogatio- ne confessarii, quæ cognoscit illum dubitantem de requisitis ad licitam validamque absolutionem, tenetur certiorare reddere, veritatem aperiendo, vel directè confitendo, consuetudinem, ut tradunt DD. citati, vel aliter, si fieri possit, ut ego opinor: si enim pœnitens vir doctus sit, & confessario notus, qui sua autoritate illius dubitationem excutere possit, & hic benè noscat, confessarium ad munus suum rectè exercendum consuetudinis notitia non indigere, rectè poterit celare, & eius manifestationem necessariam non esse confessario exponere, qui prudenter poterit, & debet doctopœnitenti credere, & majori expressione non extorâ, illum absolvere. Secus si pœnitens illiteratus, & rudis esset.

14. Sic explicatam communem sententiam videntur mihi tenere gravissimi Doctores, & nonnulli pro contraria citati. Legas quæso Patrem Dicastillo de Pœnit. disp. 6. dub. 21. num. 377. ubi benè explicat, quid veri contineat Joann. Sanctii sententia, & quo casu sustinenda, quo rejicienda sit. Concedit, & benè, non teneri pœnitentem, etiam interrogatum, fateri consuetudinem, si ipsi conflet (ut potè vir docto) rem esse in eo statum, ut nulla ordinatio ex parte confessarii sit requisita, nec major notitia, quam ex peccatorum confessione acquisita. (Hoc enim evincunt fundamenta Joannis Sanctii, & aliorum.) Ideoque censet in tali casu admitti posse eius doctrinam de usu æquivocationum ad occultandam consuetudinem: in praxi verò, ait Dicastillo, omnino sequendam contrariam sententiam, * nisi evidentissimè conflet, confessarium frustra interrogare. * Cui absque dubio consentit Vercelli ubi supra, dum loquens de circumstantiis docet, teneri pœnitentem, præsertim interrogatum fateri circumstantiam, etiam non aggravantem. * Quando id necessarium esset ad cavendum recidivum, & medicinalem pœnitentiam imponendam, aut ad salubre consilium recipiendum: regulariter tamen loquendo, inquit, non

tenetur pœnitens fateri interrogatus, quod non interrogatus tacere posset. *

15. Sic etiam temperat Joannis Sanctii sententiam Gaspar Hurtado de Pœnitent. disp. 9. diff. 4. ubi de circumstantia Quid, dicens: * Nec pœnitens teneretur respondere de consuetudine peccandi, si ipsi conflet, non indigere directione confessarii ad cautionem in futurum; nec confessarius poterit illi negare absolutionem, quia non respondet; (attende) alias reddatur de eo moraliter securus. * Quem sequitur Baunius in Theolog. Moral. part. 1. tract. 4. de Pœnitent. quæst. 15. dub. 12. pag. 1. 7. ubi ait in hoc sensu probabiliorē esse opinionem Joannis Sanctii, & in praxi sequendam. * Quia confessarius, inquit, jus non habet interrogandi pœnitentem de consuetudine peccandi, nisi eius rei causam gravem habeat, quæ raro accidit. * Et ita etiam limitat suam sententiam Leander à Sacram. suprâ tom. 1. tract. 5. disp. 8. ubi relatis Patris Hurtado verbis, ait: * Sic Hurtado, & sic postea Baunius: secus autem dicendum casu, quo pœnitenti conflet indigere directione confessarii ad præcavendum peccatum in futurum. * Addo ego, vel saltem dubitet de hujusmodi indigentia; quia si dubitans non respondeat, se exponet periculo peccandi, quia ex conscientia practicè dubia veritatem occultat. Quapropter, si certus sit pœnitens, non indigere confessarii directione, & dispositionem requisitam satis illi per confessionem innotescere, quod viris tantum doctis contingere potest, consuetudinem interrogatus confiteri tenebitur, quia pro confessario, ut potè iudice, & superiori, stat præsumptio juris.

16. Undè sit, sententiam Joannis Sanctii, ut ab ipso explicatam, rusticis, & indoctis, qui proprio iudicio fidere non possunt, circa necessitatem directionis confessarii, minimè ad praxim deservire possit: hujusmodi enim interrogati, cum ipsamet interrogatio dubium saltem ipsis ingerat obligationis, (quod in his communiter practicum est) consuetudinem peccandi fateri tenentur; secus viri docti, qui æquè, ac ipse confessarius, & quandoque magis rem penetrant, quibus proinde constare potest, nulla confessarii directione indigere, illumque certiorare possunt reddere, nullum desiderari ex requisitis ad licitam, validamque absolutionem. Quæ, si Joannes Sanctius distinxisset, eius opinio à sacra Indicis congregatione deleta non fuisset. Quia, ut benè advertit Leander suprâ, disp. 8. in fine, prohibitio sacre Congregationis Indicis intelligenda est, * casu quo pœnitenti conflet (adde vel dubitet) indigere directione confessarii ad præcavendum peccatum in futurum, aut quando fortè eius explicatio necessaria sit, ut ex peccati iteratione sumat argumentum confessarius pœnitentem non accedere animo contrito. * In hoc enim eventu opinio contraria prorsus rejicienda est. Quam merito Cardinal. de Lugo suprâ disp. 14. sect. 10. dixit esse * contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & contra finem hujus Sacramenti. * Quod dictum est de consuetudine peccandi; dicendum est de circumstantiis notabiliter aggravantibus, si confessarius interroget, quandoque enim earum notitia (ut in quantitate furti non raro contingit) necessaria esse potest confessario ad directionem pœnitentis, juxta dicta quæst. 3. num. 17. in fine.

17. Ad argumenta in oppositum respondere facile ex dictis, confessarium directè non habere jus obligandi ad iteratam ejusdem peccati confessionem: Secus indirectè, cum aliter certior reddi non possit

